



Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologica

Ex Sacris Scriptvris, Conciliorvm Pontificvmqve Decretis, Et Sanctorvm Patrvm Ac Doctorum Placitis Expressa ; In qua, quidquid tum ad fidei mysteria sanè ac rectè intelligenda, & ab erroribus quibusvis discernenda, tum ad sacramenta debitè conficienda & ministranda, tum ad actiones humanas iuxta ...


Complectens ea quæ ad Sacramenta & mores pertinent

Abelly, Louis

Coloniæ Agrippinæ, 1659

Capvt VI. De Sacramento Extremæ Vnctionis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38979



CAPVT VI.

De Sacramento Extremæ vn- ctionis.

SECTIO I.

Vtrum Extremæ vnctio sit Sacramentum, & quis sit eius minister.

EXTREMÆ VNCTIONIS nomine intelligimus vnctionem olei benedicti, quæ infirmo in extremis posito confertur à Sacerdote, adiunctis certis precibus. Hanc autem esse verum, & proprium nouæ legis Sacramentum, à Christo Domino institutum, negauerunt olim VValdenses, & Albigenfes, & nunc etiam negant Lutherani, & Calvinista; affirmat verò Ecclesia Catholica, & tanquam dogma fide credendum proponit: cuius quidem veritas simul, & erroris oppositi falsitas demonstratur.

Primò ex his S. Iacobi cap. 5. verbis: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesie, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei saluabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; & si in peccatis sit, remittentur ei:* quibus verbis exprimuntur omnia, quæ ad Sacramenti rationem requiruntur; scilicet ritus aliquis externus, nempe olei vnctio; deinde promissio gratiæ illi adiuncta, quatenus per illum ritum peccata remitti dicuntur; ac demum institutio diuina; neque enim Apostolus adeò constanter, & absolutè gratiam illam promitteret, nisi Christus Dominus hoc ita instituisset, ac fieri præcepisset.

Secundò, ex Concilio Cabilonenſi (quod temporibus Caroli magni celebratum eſt) cap. 48. ubi dicitur: *Infirmos ſecundum beati Iacobi documentum oleo, quod ab Epifcopo benedicitur, debere à Presbyteris ungi: & paulò poſt allegatis ipſius S. Iacobi verbis ſubdit, Quod eſt parvipendendam eiufmodi medicinam, qua anima corporiſque medetur languoribus.* Item ex Concil. Florentino in decr. Eug. & Trid. ſeſſ. 14. c. 1. de Extrema vnctiōne, ubi habetur: *Hoc Sacramentum inſtitutum à Chriſto Domino noſtro, apud Marcum quidem inſinuatum, per Iacobum autem Apoſtolum, ac Domini fratrem, fidelibus commendatum, ac promulgatum.*

Tertiò ex SS. Patribus, qui huic ſacræ vnctiōni viam ſanctificandi & peccata remittendi tribuunt; vt S. Iohannes Chryſoſtomus lib. 3. de ſacerdotibus ubi dicit Sacerdotes non modo cum nos regenerant, ſed etiam, cum infirmos oleo unguunt, indulgere peccata; quod ex citatis S. Iacobi verbis confirmat: & S. Auguſtinus ſerm. 215. de tempore in quo dicitur Superueniente infirmitate ægrotum accipere deum Chriſti Domini corpus, & exinde proprium eius conueniendum eſſe, vt impleatur in eo illud, quod ſcriptum eſt: *Infirmatur quis in vobis, &c.* additque hoc eſſe ad corpus ſanitatē, & peccatorum indulgentiam aſſerenti.

Quod autem ſpectat ad miniſtrum huius Sacramenti certum eſt, ſolum Sacerdotem ritè ordinatum, poſſe Sacramentum hoc validè adminiſtrare. Ita S. Theophylactus in 4. diſt. 25. q. 2. a. 1. & alii communiter: eſtque fide, vt conſtat ex ſuprà relatis S. Iacobi verbis, *Leuat presbyteros Eccleſia;* tum ex Conc. Trid. ſup. c. 3. verba illa S. Iacobi explicans dicit, *Proprios huius Sacramenti miniſtros eſſe Eccleſia Presbyteros: quo nomine, non atate ſeniores, aut primores in populo intelligendū niunt, ſed aut Epifcopi, aut Sacerdotes, ab ipſis ritè ordinati.*

Quamuis autem quilibet Sacerdos Sacramentum validè adminiſtrare poſſit, cum eius adminiſtratio,

modo deprecatorio fit, vt infra dicitur non fit proprius actus iurisdictionis, vt ex communi Theologorum sententia docet Isamb. disp. 8. de Sac. Extr. vult. nullus tamen Sacerdos id licite potest, nisi fit proprius Sacerdos illius, cui hoc Sacramentum confertur; vel ab eo facultatem habeat: vnde in Clement. 1. de priuileg. prohibetur religiosi Sacerdotibus sub pena excommunicationis sedis Apostolicæ reseruata, & ipso facto incurrendæ, ne hoc Sacramentum laicis, aut Clericis administrent sine licentia proprii Sacerdotis, vt refert Laym. cap. 6. de Extr. vnt.

Excipiunt tamen Doctores casum necessitatis; quando scilicet à proprio Sacerdote Sacramentum illud recipi non potest: v. g. si absit, nec ab illo licentia possit obtineri; tunc enim quilibet Sacerdos etiam religiosus potest valide, ac licite Sacramentum illud moribundo administrare, nec vllam ideo incurrit excommunicationem, vt docent S. Anton. Syl. Caiet. Henriq. & alii apud Laym. supra.

Quærant aliqui occasione illorum verborum S. Iacobi: *Inducat Presbyteros Ecclesia*, vtrum huius Sacramenti minister debeat esse vnus, an plures. Resp. 1. vnum sufficere, vt constat tum ex cap. *Quasiuit* extra de verborum significatione, tum ex communi Ecclesiæ praxi, quæ non nisi vnum Sacerdotem ad Sacramentum hoc administrandam adhibere solet. Resp. 2. plures Sacerdotes posse Sacramentum hoc administrare, siue successiue; quando vnctione vna, aut altera ab aliquo Sacerdote facta, & forma simul prolata, alius reliquas vnctiones facit, & verba formæ proferit: siue coniunctim, ita vt vno Sacerdote vnam vnctionem faciente, & verba formæ proferente, alii Sacerdotes eodem tempore vnctiones reliquas faciant, ac simul verba formæ proferant: & hic modus administrationis semper quidem validus est; non tamen licitus nisi in duobus casibus. Primus est, si Sacerdos post aliquas vnctiones factas subito moriatur, aut in talem infirmitatem decidat, vt reliquas peragere non possit;

possit; tunc enim alius Sacerdos eius defectum supple-
re debet, non repetendo quæ facta sunt, sed ea quæ
sunt perficiendo. Secundus est, quando subest ali-
ratio timendi, ne infirmus moriatur, priusquam vnus
minister vñctiones omnes perficere possit: tunc enim
adsint alij Sacerdotes, poterunt simul vnus oculos, alij
aures, &c. perungere, ac vnusquisque illorum forma
proferre, vñctioni illi quam peragit conuenientem. Laym.
Suar. disp. 43. sect. 2. nu. 8. Isamb. disp. 5. de Extr. vñct.
art. 2. & 3. & plures alij.

SECTIO II.

Que sit materia, & forma huius Sacra- menti.

DICENDVM 1. materiam remotam Extremæ
vñctionis esse oleum oliuarum ab Episcopo benedi-
ctum. Ac in primis quòd sit oleum oliuarum, constat ex de-
creto Eugenij, vbi expressè dicitur, materiam huius Sacra-
menti esse *Oleum Oliua*: & in Catech. Rom. part. 2. cap. 6.
6. declaratur, olei nomine intelligi liquorem, non
quauis pingui, & crassâ materia, sed ex olearum be-
tantummodo expressum. Quòd autem oleum istud
sit apta & sufficiens huius Sacramenti materia, debet
te ab Episcopo benedictum, docet S. Thom. in 4. dist.
q. 1. a. 3. & constat tum ex cit. decret. Eug. & Conc. Tri-
sess. 14. cap. 1. de Extr. vñct. tum ex ipsius Ecclesie pra-
quæ non nisi oleum ab Episcopo benedictum in huius
sacramenti administratione adhibere consuevit.

Quæres an deficiente oleo benedicto, possit vrgere
necessitate ad Sacramentum hoc administrandum ad-
hiberi oleum non benedictum, vel illius loco sacrum ali-
quod. Resp. 1. oleum benedictum, esse de necessitate huius
Sacramenti, vt docet S. Thom. S. Bonau. Durand. & alij.

quos refert, & sequitur Isamb. disp. 2. art. 2. proindeque nec licitè, nec validè cum oleo non benedictò administrari posse; si tamen oleum benedictum non sufficeret, posset illi non benedictum in minori tamen quantitate licitè admisceri, vt intelligitur ex cap. *Quod in dubijs*, extra de consecratione Ecclesiæ. Resp. 2. controuersum esse apud Theologos, an hoc Sacramentum validè conferri possit in oleo balsamato seu chrismate, quibusdam affirmantibus, aliis verò id negantibus, quos fuse refert Laym. cap. 2. de Extr. vnct. qui rectè concludit (quid sit de vtraque illa sententia, quarum neutra expresse ab Ecclesia definita est) quantum ad praxim attinet, nunquam licitum esse Sacerdoti in Extremæ vnctionis administratione vt chrismate, eo quòd saltem id consuetudini, & praxi Ecclesiæ repugnet, quæ non nisi oleum simplex, & benedictum pro vngendis infirmis adhibere solet.

Addit quòd, quamuis, secundum ipsius Ecclesiæ praxim, oleum istud infirmorum quotannis renouari debeat, vetusque nouo accepto comburi. Si tamen Parochus oleum ab Episcopo benedictum nondum recepisset, urgente veteri benedictò ad conferendam extremam vnctionem vt licitè posset.

Dicendum 2. materiam proximam huius Sacramenti esse vnctionem, quæ fit per modum crucis, iuxta Rituale Romanum, in oculis, auribus, naribus, labijs, manibus, pedibus & renibus (quam tamen vltimam vnctionem in fœminis omittendâ esse dicit) vel in pectore loco renum, vt in Rituali Parisiensi, & in quibusdam alijs habetur. Hæc autem vnctio in partibus illis, quæ naturâ geminæ sunt, duplex fieri debet, v. g. vna super oculum dextrum, altera super sinistrum; & vnica interim forma proferri; ita vt formæ prolatio incipiat, antequam prior vnctio finiatur, nec desinat, quin posterior saltem inchoetur, vt adnotatur in eodem Rituali: vbi etiam dicitur, quòd si quis aliqua illarum partium mutilatus sit, vnctio in proxima fieri debeat cum eadem formæ prolatione.

Cùm

Cum igitur hæc ex ipsius Ecclesie praxi constent, quaeritur, an unctio illarum omnium partium sit de essentia huius Sacramenti, ita ut valide conferri non possit, nisi omnes illæ partes ungantur. Resp. 1. certum esse communi Theologorum consensu, ad validitatem huius Sacramenti non requiri, ut unctio fiat in modo crucis, nec etiam, ut pedes, aut renes aut pectus ungantur, nec ut fiat duplex unctio in geminis partibus iusque sensus: quamvis enim ex præcepto Ecclesie fieri, & seruari debeant, nec proinde (nulla urgente necessitate) omitti possint sine peccato; non sunt tamen essentia huius Sacramenti, nec ad eius validitatem requiruntur, ut docent Sot. Henric. Suar. Toler. & alii apud Laym. cit. cap. 2.

Resp. 2. controuersum esse apud Theologos, utrum ad Sacramenti huius validitatem necessarium sit, ut omnes quinque sensus corporis ungantur; an verò unctio in vno illorum sufficiat: quidam enim Doctores, ut recenset, & quibus subscribit Isamb. disp. 2. art. 5. tantummodo sensus unctioem ad Sacramenti validitatem sufficere existimant: alij verò è contrà unctioem quinque sensuum ad validitatem illam requiri affirmant. Ita S. Thom. in 4. dist. 23. q. 2. a. 3. S. Bonau. Richard. Palud. & plures alij, quos citat, & sequitur Suar. eorum sententia videtur probabilior, maxime propter auctoritatem ipsius S. Doctoris, proindeque in præsentanda.

Dicendum 3. formam huius Sacramenti hanc esse: *istam unctioem, & suam piissimam misericordiam inueniat tibi Dominus, quidquid per visum deliquisti, &c.* Similiter de aliis membris. Ita declaratum est in decreto & in Conc. Trid. sess. 14. cap. 1. de Extr. unct. & expressè habetur in Rituali Romano.

Sunt autem quædam obseruanda. Primum est, formam huius Sacramenti per modum deprecationis se proferendam, ut docet S. Thom. S. Bonau. & communiter alij apud Suar. supra sect. 5. quod conuenit

rum ex his S. Iacobi verbis. *Orent super eum, ungentes &c. & oratio fidei salvabit infirmum*: tum ex universali Ecclesiæ praxi, quæ ubique in hujus Sacramenti administratione forma deprecatoria utitur.

Secundum est, quòd, quamvis omnes particula præfata, quæ in forma hujus Sacramenti communiter proferruntur, ad ejus essentiam non pertineant, sitque probabilissimum solas has quæ sequuntur (*Per istam unctionem indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti*) ad illius validitatem esse necessarias, ut docet & probat Isamb. disp. 3. art. 2. debet tamen Sacerdos omnia illa verba in huius Sacramenti forma ex Ecclesiæ præscripto apposita, prout in Rituali Romano habentur, vel secundum peculiarem cujusque diocesis usum, distinctè proferre; nec aliquid ab eo in illa prolatione omitti, aut mutari sine peccato potest.

Tertium est, probabilissimum esse (quòd asserunt Henric. Med. Palud. & alii, quos citat, & sequitur Isamb. supra art. 4.) quinariam formæ hujus Sacramenti reversionem non esse de eius essentia, sed sufficere unicam: secundum quam sententiam, si infirmus jam moriturus credatur, poterit Sacerdos partes magis obvias quinque sensuum ungerere; v. g. unum oculum, aurem, narrem, labrum, & aliquam aliam partem pro sensu tactus, qui ubique diffusus est, ut genam, idque celeriter nullo facto signo crucis, & simul, ac semel hæc verba proferre, *Per istam unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti, vel quidquid peccasti per visum, auditum, odoratum, gustum, & tactum.*

SECTIO III.

Quinam sint huius Sacramenti effectus.

EXTRMÆ unctionis effectus duplicis sunt generis; quidam enim animam, alii corpus attingunt: quod spectat ad animam, quinque sunt præcipui effectus, quos Sacramentum hoc in ea operatur.

Primus

spectat ad animam, quinque sunt precipui effectus, quae
Sacramentum hoc in ea operatur.

Primus effectus illi cum aliis Sacramentis communis
est gratia sanctificans; ut expressè definitum est in Conc.
Trid. sess. 14. can. 2. de extrema unctioe, his verbis: *qui
quis dixerit, sacram infirmorum Vnctionem non conferre gra-
tiam, & c. anathema sit.*

Secundus, est speciale gratiae auxilium, tum ad superan-
das tentationes in articulo mortis occurrentes, tum ad
spem, & confidentiam facilius, & firmiter in Deum con-
gendam; tum etiam ad morbi, & mortis molestias cum
majori patientia tolerandas: quod expressè declarat
Conc. Trid. cap. 2. ubi dicit, quod hoc Sacramentum *de-
groti animam alleviat, & confirmat, magnam in eo divina
fericordia fiduciam excitando; qua infirmus sublevatus,
morbi incommoda, ac labores levius fert; & tentationibus De-
monis calcaneo insidiantis, facilius resistit.*

Tertius effectus, est remissio peccatorum mortalium,
quae fortè habet infirmus, quae habere se bona fide, in-
vincibiliter ignoret; quamvis enim (ut rectè oblat
Gamach. cap. 6. de Extr. unct.) Sacramentum hoc ex
maria Christi institutione secundam tantummodo do-
nam, id est, gratiae sanctificantis augmentum conferat, su-
ponatque hominem à peccato mortali per Sacramentum
Poenitentiae, aut perfectam contritionem jam purgatum
nihilominus secundariò etiam primam interdum gratiam
conferre potest, & peccata mortalia delere, si forte con-
fessio Sacramentalis nulla, & invalida fuit, & alias infirmus
se in statu peccati mortalis esse invincibiliter ignoret,
de illis saltem in genere attitutus sit, ut docent Palud. Suar.
& alii apud Laym. cap. 5. de Extr. unct. & satis aperte col-
igitur tum ex his S. Iacobi verbis: *Si in peccatis sit, remissio
tibi ei;* tum ex istis Conc. Trid. cap. 2. *Delicta, si qua sint,
huc expianda, abstergit;* tum denique ex his formae ver-
Indulgeat tibi Dominus quidquid peccasti: quae quidem
ba sicut & alia ex Apostolo & Concilio relata, cum sint
definita ac sine ulla restrictione, de quibus eunq; peccatis
etiam mortalibus intelligi debent.

Quartus effectus, est remissio peccatorum venialium, ut à fortiori ex supra citatis Apostoli & Concilii verbis, & ex ipsa Sacramenti forma colligitur.

Quintus denique, est absterfus reliquiarum peccati, ut expresse docet Conc. Trid. cit. cap. 2. quarum quidem peccati reliquiarum nomine S. Thom. in 4. dist. 23. q. 1. a. 2. q. 1. Ferrar. lib. 4. cont. Gentes cap. 73. & plures alii Theologi intelligunt animi languorem, torporem, mœrorem, tristitiam, fastidium, anxietatem, & alias similes pravas affectiones, quæ ut plurimum ex peccatis præteritis eorumque recordatione oriuntur, & varia incommoda spiritalia causant, vel etiam in extremam desperationem propellunt.

Quod verò spectat ad corpus, unus est Extremæ unctionis effectus, scilicet ipsius corporis sanitas, ut colligitur ex Apostoli verbis; *Oratio fidei salvabit infirmum*: quæ verba de corporis salute intelligenda esse docet Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacram. part. 15. c. 2. & post illum S. Thom. in 4. dist. 23. q. 2. a. 2. quem etiam Extremæ unctionis effectum tradit Conc. Trid. cit. cap. 2. adjecta tamen hac conditione: *ubi saluti animæ expedierit*: quo sensu citata Apostoli verba docet esse intelligenda.

Quæres, quis sit præcipuus horum effectuum, seu ob quem primariò Extrema unctio instituta sit. Resp. cum S. Doctore supra, & pluribus aliis Theologis quos citat & sequitur Suar disp. 41. lect. 1. hoc Sacramentum principaliter institutum esse, ad conferendum infirmo speciale quoddam gratiæ actualis auxilium, quo juvetur, & roboretur contra occurrentes in extremo vitæ discrimine difficultates, quibus à negotio suæ salutis strenuè procurando, & promovendo retardari potest; secundariò verò tum ad sanitatem corporis, si animæ salutem conducatur, reparandam, tum ad alios supra explicatos effectus conferendos.



S E C T I O I V .

Quis suscipere possit, aut debeat Sacramentum Extremæ unctionis, & que in eo dispositiones requirantur.

D I C E N D U M 1. subiectum capax huius Sacramenti esse hominem baptizatum, qui rationis usum adeptus sit, & propter morbum de vita periclitetur. Est communis sententia Doctorum in 4. dist. 23.

Requiritur 1. ut sit baptizatus; cum Baptismus (ut habetur in decr. Eug.) sit *janna vita spiritalis*, nec sine Sacramenta reliqua validè suscipi possint.

Requiritur 2. ut rationis usum adeptus sit cum effectus huius Sacramenti effectus sit remissio peccatorum aliquid, & robur aduersus tentationes; pueri ante usum rationis horum effectuum capaces non sunt, ut per se patet, nec proinde Sacramenti illius suscipiendi: unde Suarez. c. 22. num. 13. Suarez. disp. 70. sect. 1. & plures alii Theologi rectè docent, Sacramentum Extremæ unctionis non conferri posse, imò & negari non debere pueris, quæ etiam ætatem, & rationis discretionem perueniunt, ut Sacramenti Pœnitentiæ sint capaces, quamvis sanctam Christianam nondum receperint, nec adhuc idonei ad illam recipiendam iudicentur: quod etiam in Rituali Parisiensi de Extr. vinct. præscribitur. Diximus requiri, ut Sacramentum suscipiens, rationis usum adeptus sit, ut usum illum adhuc retineat, siue postea in amentiam phrenesim lapsus sit: licet enim maxime deceat, & quantum fieri potest, procurandum sit, ut infirmo ministrandum sana mente, & in regis sensibus est; non est tamen illi denegandum, quamvis in amentiam inciderit, aut rationis usum amiserit, si antea illud petiit, aut saltem impretative desideravit; si nimirum Christianè vixit, & salutis suæ memor fuit: quod quidem præsumendum

nisi contrarium appareat, ut docent Palud. Sylv. Henric. & plures alii apud Laym. cap. 4 de Extr. unct. & expresse declaratur in Rituali Romano, in quo etiam prescribitur, impoenitentibus, qui in manifesto peccato mortali moriuntur, & excommunicatis omnino denegandum esse hoc Sacramentum.

Requiritur 3. ut non nisi infirmo de vita periclitanti conferatur Extrema unctio, ut docet S. Thom. in 4. dist. 23. q. 2. a. 2. & cum eo communiter omnes, habeturque in Conc. Trid. cap. 3. unde neque reis ultimo supplicio mox afficiendis, neque praelium in turis, aut aliis ex violentia aliqua extrinseca morituris hoc Sacramentum conferri debet, ut in prefato Rituali Romano expresse declaratur.

Observat etiam S. Doctor supra art. 4. & cum illo communiter omnes, Extremam unctionem, morbi periculo eodem durante, iterum conferri non posse; secus vero, si eodem morbo durante, infirmus novum aliquod mortis periculum incurrat: ut, si postquam inunctus fuerat, medicorum iudicio melius habere coepit, evasitque periculum mortis, in quod nihilominus postea mutata corporis constitutione iterum recidit, ut docent Palud. Suar. & alii apud Laym.

Dicendum 2. infirmum sui compotem Sacramentum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ debere recipere, priusquam Extrema unctio ipsi conferatur, si tempus & ipsius infirmi conditio, seu dispositio id permittat. Ita docet Isamb. disp. 7. art. 1. & expresse declaratur in Rituali Romano, & etiam in Catech. Rom. part. 2. cap. 6. ubi vocat hanc consuetudinem Ecclesiæ *Perpetuam*, aitque esse *servandam*; quod obligationem denotat: si tamen postea in mortale peccatum lapsus sit, aut alicujus peccati mortalis nondum confessi recordetur, debet hujus Sacramenti susceptioni Sacramentalem confessionem præmittere; aut si extrema morbi vi oppressus id non possit, debet actum contritionis aut saltem attritionis elicere, ut Sacramenti hujus virtute peccatorum remissionem percipiat, ut docet Isamb. supra, & ante illum docuerunt Suar. disp. 42. sect. 1. Nav. a. 22. nu. 12. & plures alii.

Quæres.

Quæres, an sit aliqua obligatio Extremæ unctio-
 nis suscipiendæ. Respondetur juxta doctrinam S. Thomæ in
 dist. 23, q. 1. a. 1 q. 3 ad 1. nullam esse hujus Sacramenti
 suscipiendi sub peccato mortali obligationem, si secundum
 se præcisè consideretur; licet enim utilissimum sit, ac
 liberrimum, nullam tamen nec mediæ, nec præceptivæ
 necessitatem secum invehit, ut probat Isamb. disp. 8. art. 1.
 qui tamen rectè subjungit, fieri interdum posse, ut
 quis illud non suscipiendo, mortaliter peccet; si v. g. illud
 ex contemptu omittat, vel quamvis absit contemptus
 ex neglectu illius scandalum sequatur, aut ipse infirmus
 probabile aliquod periculum salutis incurrat, quia
 alium aliud Sacramentum suscipere potest.

Non est tamen par ratio illius, cui Sacramenti hujus
 administratio ex officio incumbit; is enim (ut rectè docet
 & probat Isamb.) per se, vel per alium Sacerdotem tenetur
 hoc Sacramentum subditis suis extremè, & periculo-
 sè ægrotantibus administrare; ita ut peccet mortaliter
 si cognito alicujus infirmi periculo, illi conferre sine
 justa ratione omittat, aut differat cum probabili peri-
 culo interim ægrotus illo non suscepto moriatur. Ad
 hæc quod, quamvis infirmus morbo contagioso labo-
 ret, nec posset illi Sacramentum hoc nisi cum vitæ peri-
 culo administrari, si tamen proprius ejus Sacerdos aliter
 subvenire non possit, quàm Extremam unctio-
 nem conferendo, teneretur etiam cum certissimo vitæ peri-
 culo hanc illi administrare, nisi alius Sacerdos eius vicem
 suppleat. Docet nihilominus quòd, si moraliter certum
 de bona illius dispositione quoad ea, quæ salutem animæ
 respiciunt; puta quia nuperrimè Poenitentia & Eucha-

ristia Sacramenta illi administravit, tunc non tenetur
 saltem sub peccato mortali Extremam un-
 ctionem illi administrare.

* *
 *